GREGORIUS MAGNUS. ORIGENES. ANNALES ZWETLENSES

Zwettl, 4. Viertel 12. Jh. Seite 34r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



amor excrescere. Erat ergo prius ignis extrinsecus cum iacob diceret: salutare tuum expectabo domine. Quod enim salutare dicimus latine. hoc uerbo ebraico. ihs dicitur. In quo uerbo beati iacob mens ostenditur quomodo ihu desiderio ardebat. quem si moriens expectare prohibebat. Ardebat ignis cum moyses dicit. si inueni gratiam in conspectu tuo. ostende michi temet ipsum. ut uideam te. Ardebat ignis ingens in mente cum dauid diceret. Sitiuit anima mea ad deum uiuum. quando ueniam et apparebo ante faciem domini. Qui incarnationem uerbi desiderans ait. Ostende nobis domine misericordiam tuam. et salutare tuum da nobis. Ardebat ignis cum symeon de corruptione uite presentis exire desiderans audiuit. non uisurum se mortem. nisi prius uideret xpm dni. Sed ecce iam ignis iste quasi sublumbis exteris resplendet. quia uniuersa gentilitas incarnati dei est amore succensa. Quod intelligi et aliter potest. quia redemptor nr ds et dns nr ihc xpc per humanitatem suam hominibus innotuit. qui per diuinitatem notis angelis et ante incarnationem fuit. Nobis ergo alumbis inferius resplendet in circuitu cuius ignis intrinsecus alumbis superius ardet in celo. quia illi celestes spc eum in diuinitate sua conspiciunt et amoris eius ignibus accenduntur. nos uero qui hunc ex assumptione sue humanitatis diligimus. adhuc in hac corruptione positi. splendorem ignis illius foris habemus. Unus itaque super tronum est. qui et super lumbos ignem intrinsecus habet in angelis. et sublumbis ignem in circuitu

habet in hominibus. quia in omne quod ab angelis amatur per omne quod ab hominibus desideratur unus est qui in cordibus ardet amancium. Hinc est enim quod ille magne potestates angelice ~~cherubin~~ seraphin nominantur. id est incendium. Hinc de ipso omnium creatore scriptum est Ds nr ignis consumens est. Ignis enim ds dr. quia flamma amoris sui incendit mentes quas replet. et idcirco seraphin incendia dicuntur quia potestates ei proxime in celis inestimabilis amoris eius igne succense sunt. Ex hoc igne succense sunt corda iustorum. hoc igne cale facta ad penitentiam redeunt corda peccantium. que inflammata uehementer timorem in amorem uertunt. Nam que prius tabescere metu ceperant. postmodum igne amoris flagrant. Et quia eius membra sunt celesti angeli in celo. eius membra sunt conuersi homines in terra. unus homo est qui et super lumbos ardet intrinsecus. et sublumbis inferius ignis sui splendorem in circuitu emittit. quia et angelos ad amorem suum per diuinitatem tenuit. et homines ad sca desiderium ardoris sui ex humanitate reuocat. Sequitur. Uelut aspectum arcus. cum fuerit in nube in die pluuie. Arcum omnipotens ds inter se atque homines posuit in signo. ut ultra mundum diluuio non deleret. dicens. Arcum meum ponam in nubibus. et erit signum federis mei inter me et inter terram. Unde et in arcu eodem color aque et ignis simul ostenditur. qui ex parte est ceruleus. et ex parte rubicundus. ut utrique iudicii sit testis. unius uidelicet faciendi. et alterius facti sed iam non ulterius